ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Per-illustri viro ac Domino meo
D. Constantino Hugenio Zulichemi Domino etc. S.P.D.

Desiderium, Vir per-illustris amplissime Domine, tuum Goli-ani responsi neque hujus negligentiâ suspensum usque huc habitum est, neque indiligentius meâ. Non hoc quidem sane: cum binas jam ad eum litteras, alias ipsâ quâ excepit me primum mandatum tuum, horâ, alias ad diem nunc tertium, dederim. Non cadat unquam in me tantum scelus ut non manibus pedibusque servire contendam tibi noctes ac dies tum fidelissime, tum ocyssime, et ut ajebat Macedo magnus, μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Sed nec ullâ optimi illius virorum: eorum quippe praesenti praesens hodie (nam excurri de praecepto vestro ad eum, quid in morâ rebus hactenus fuerit cogniturus) vix jam reducem Amstelodamo se, diutiuscule ibi praeter opinionem calculumque positum ante, tum litterariâ glebâ, (in Samaritanis fuerat) tum non minimi in familiari re momenti negotijs aliquot istic suis retentum affirmabat distulisse adeo officium, quod et ipse diffitebatur neque poscere tantam atque nunc didicit, festinationem opinabatur. Accepisse verò secundas simul, simul in procinctu fuisse, et Amplitud. tuae, et D. Wendelino satisfaciundi. Ecce autem jam hoc acturientem de obitu, sive patrui sive avunculi (vernaculam enim linguam loquebatur) uxoris tristissimo atque acerbissimo (ita ajebat) nuncio perculsum, videri tum evocari, quo prodeat in funus, ac supremo illo erga defunctum honore defungatur, tum autem etiam, credo, haereditatem cernat, vel quia, nisi illa sit Domini, praeclara saepe certamina cernuntur.

Hug. 37.

Quicquid erit tamen denique, responsum vel in crastinum adornaturum reservaram, si potius illius erit vel Dordrechti certe omnino confestim atque quod datur oci. Ego haec in antecessum deinceps at ... fraudi mi deprecor, ut factique infectique hic A. T. constaret ratio, ac vel incuriae, vel oblivionis, vel incogitantiae, vel quocunque demum nomine hoc tale exprimi fas fuerit, peccati, purgaremur et ille paratissimus, et ego

Per-Illustris vir ac Domine

Virtuti Amplitudinique tuae dicatissimus, obstrictissimus
Servus

Hagae Com. IX. Kal. Aug.
CIƆIƆCXLI.

Henricus Bruno.

Studia quod attinet, si recte illa atque ordine, nec segniter progredi dixero, nihil apportem novi. Si, quae nunc ea sint, quove usque promota, narrare instituam (quasi ocium unquam tibi tantum superet auscultandi, et parum turbetur alias aut eripiatur quantulumcunque, nec in tanta cottidiana III. viror. tuorum Reipubl. litterariae rerum scriptionis diligentia satis intelligas) nihil nimis ut existimo grati. Nisi forte ita cum Horatiis tuis transegisti, ut quater eadem fere legendo. Quod si est, Bruno Sc. quoque principibus permixtum agnoscet Achivis, quorum erit hoc virtutis opus. Nunc vale, Perillustris Dne, Dominus te servet.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2794

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2794

Mijn Heer,

Mijn Heer van Zuilichem &c.

In 't Leger.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2794